

extremum actum, tamquam ab inertî poëta, esse neglectum. Sed tamen necesse fuit esse aliquid extremum, et tamquam in arborum baccis, terraeque frugibus, maturitate tempeſtiva, quaſi vietum et caducum: quod ferendum eſt molliter ſapienti. Quid enim eſt aliud, gigantum modo bellare cum diis, niſi naturae repugnare? *Laelius*. Atqui, Cato, gratiſſimum nobis, ut etiam pro Scipione pollicear, feceris, ſi, quoniam ſperamus, volumus quidem certe ſenes fieri, ante multo a te didicerimus, quibus facillime rationibus ingraveſcentem aetatem ferre poſſimus. *Cat.* Faciam vero, Laeli, praesertim ſi utrique veſtrâm, ut dicis, gratum futurum eſt. *Lael.* Volumus ſane, niſi moleſtum eſt, Cato, tamquam aliquam viam longam confeceris, quam nobis quoque ingrediendum ſit, iſtuc, quo perveniſti, videre, quale ſit.

III. *Cat.* Faciam, ut potero, Laeli. Saepe enim interſui querelis meorum aequalium, (pares autem cum paribus, veteri proverbio, facillime congregantur,) quae C. Salinator, quae Sp. Albinus, homines conſulares, noſtri fere aequales, deplorare ſolebant: tum quod voluptatibus carerent, ſine quibus vitam nullam putarent; tum quod ſpernerentur ab iis, a quibus eſſent coli ſoliti. Qui mihi non id videbantur accuſare, quod eſſet accuſandum. Nam ſi id culpa ſenectutis accideret, eadem mihi uſu evenirent, reliquiſque omnibus majoribus natu, quorum ego multorum cognovi ſenectutem ſine querela: qui ſe et libidinum vinculis laxatos eſſe non moleſte ferrent, nec a ſuis deſpicerentur; ſed omnium iſtiusmodi querelarum in moribus eſt culpa, non in aetate. Moderati enim, et nec difficiles, nec inhumani ſenes, tolerabilem agunt ſenectutem: importunitas autem, et inhumanitas omni aetati moleſta eſt. *Lael.* Eſt, ut dicis, Cato. Sed fortasſe dixerit quiſpiam, tibi, propter opes et copias, et dignitatem tuam, tolerabiliorem ſenectutem videri: id autem non poſſe multis contingere. *Cato.* Eſt iſtuc quidem, Laeli, aliquid; ſed nequaquam in iſto ſunt omnia: